

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Henr. Callenbergii Ph. P.P. Dissertatiuncula De Aperiendis Inter Barbaras Gentes Scholis

Callenberg, Johann Heinrich

[Erscheinungsort nicht ermittelbar], MDCCXXXI.

VD18 11450126

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200797

IO. HENR. CALLENBERGII

PH. P. P.

DISSERTATIUNCULA

DE

APERIENDIS
INTER BARBARAS
GENTES SCHOLIS.

CID IDCC XXXI.

SUMMA.

I. Quid scholæ vocabulo subiiciatur. II. Qui barbari dicantur. III. Ratio- nes curandæ horum salutis; mandatum diuinum. IV. Commoda, ex tali cura profectura. V. Qui- busnam religiosa barbarorum cura mandanda sit. VI. Quomodo scholasticis institutis salus illorum possit procurari. VII. Responsio ad ea, quæ obijciuntur.

I.

 Ntequam de scholasticis institutis, ad barbararum gentium cultum propagandis, scribere aliquid aggrediar, *) scholæ nomen, ususque mihi paucis pro more explicandus esse videtur. Scholæ autem vocabulo cum in vulgus constet, quid notetur, superuacaneum iudico, multum eo inter-

A

pre-

*) Scripsi hæc circiter anno huius seculi decimo nono; quæ, cum amicis quibusdam se probauerint, iam publico, atque accuratiori aliorum considerationi modeste permitto.

37
38

2 DISSERTATIUNCULA DE APERIENDIS

pretando illustrandoque insumere verborum. Scilicet cum genus institutionis omne hoc vocabulo significatur, tum illud imprimis, quo mens excolitur, animusque emendatur. Hæc tradit rerum humanarum diuinarumque disciplinam, & quibus hæc iuuatur & propagatur, linguas, artesque; vitiositatem morum, eiusque fontem, prauas cupiditates, quæ magno discantibus impedimento sunt, & literarum intercipiunt fructum, subigit, domatque, si idoneum nata fuerit alumnum. Tales bonarum artium, pietatisque officinas cur quis reprehendat, non video, quam possit causam afferre, vel omnino fingere. Fuerunt equidem lycea, &, proh dolor! hodieque sunt non pauca, ex quibus doctores, quod alium, præter exculti ingenii plausum, famam, gloriam, & honores non agnoscunt scholastici instituti finem, plerumque emittunt adolescentes peiores, quam acceperunt, & tam ciuili, quam sacræ rei periculosos. Id cum superiore & nostro auroprobi quidam viri animaduernerent, plurima & grauissima mala in rempublicam christianam ab eiusmodi literatis inferri, eo prolapsi sunt, ut officinas literarias, profanorumque studiorum sedes ab iis, qui a publicis corruptelis intacti esse cuperent, nequaquam frequentandas esse dicitauerint. Quamquam vero in iudicio finem eos æquitatis

INTER BARBARAS GENTES SCHOLIS. 3

tatis transiisse ex natura & usu optimorum institutorum intelligatur, nolim tamen affirmare, illos doctrinam omnem, adeoque vitæ etiam sancte, religioseque instituendi præptricem eruditionem repudiasse; quod improbi & auersi a Deo literiones, prauitatis suæ reprehensionem calumnia vindicaturi, asserunt, petitoque ab insanis quibusdam ac miseris hominibus testimonio probare contendunt. Vero sane simile est, illos, si scholas, in quibus morum sanctitas cum ceteris vitæ humanæ utilibus artibus sincere & religiose tradatur, unquam vidissent, non solum non reiecturos fuisse scholasticam disciplinam sanctiorem, sed id quoque exoptaturos, ut hæc salutaris morum cultura ad barbaras etiam, incultasque regiones propagaretur. Quod mihi adeo certum exploratumque est, ut his me facilius meum consilium, quam peruerlis præposterisque literarum aestimatoribus probaturum confidam.

II.

Equidem neque barbaros isti omnes putabunt, quos ego; neque eadem laudabunt profligandæ barbariei subsidia; neque ministros, quos offero, satis credent idoneos; denique negotium ipsum vel opera dignum, vel liberum etiam enthusiastici impetus suspicione esse negabunt. Etenim non solum hoc nomine dignos esse puto rudes li-

A 2

tera-

4 DISSERTATIUNCULA DE APERIDENIS

terarum nostrarum & doctrinæ vulgationis, sed illos etiam omnes, qui, mentis animiue cultura legitima neglecta, vel perperam disiuncta, recti ignorantia & barbarie morum laborant; siue in sterili studiorum regione degant, siue patriam nacti fuerint, ad cultiorem literarum disciplinam reuocatum. Et si rude illud & barbarum non opinione magis, quam re metiamur, sæpe plus culturæ in alienis a nostra eruditione terris, ac inter homines, nullis tinctos literis, reperiemus, quam in cultissimis Europæ regnis, & inter viros, linguarum, artium, rerumque variarum scientia spectatos. Hoc tamen nolim ita accipi, ac si horridas agresti immanitate gentes humanioribus præferendas esse existimem; sed id solum dico, animum illos habere, non plane expertem capacitatis, ut in eum tamquam in vas aliquod ea, quæ ad politio rem humanitatem pertinent, infundi possint, nec, cum naturalem legem diligentius plerumque obseruare, quam christiani homines diuinam soleant, hanc, si recte proponatur, esse repudiaturos. Hos igitur barbaros appellamus, quod non, ut nos, præsidis necessariis ad barbariem profligandam sint instructi. His autem succurrendum, & quibus indigent, subsidia suppeditanda esse, per quos, & qua ratione, id fieri possit, iam paucis explicabimus.

III.

III.

Officium nostrum facile patefcit cuique, si, quam arctam Deus inter homines constituerit cognationem, considerare velimus. Siquidem ex ea proficiscitur illud, ut dicamus, quemadmodum nobis ipsis solemus prospicere, ita aliis quoque, ubi fieri possit, eandem curam impertiendam esse. Accedit mandatum supremum Numinis, quemque ceteros æque ac se ipsum amare iubentis. Eum amorem vero cum quisque in multis rebus testari possit ac debeat, in nulla tamen magis, quam in curanda ea hominis parte, quæ præcipua, & immortalis est, animum puta. Hic ubi male se habet, totum corpus, omnisque vita miseriis obruta sit, oportet. Huic autem calamitati quomodo potissimum occurri atque vera illa possit comparari beatitas, non est mei iam muneris, argumentis longe petitis ostendere, sed id, quod inter nos constat, nec a quoquam, præter miseros nonnullos & cupiditari, tanquam Dei alicuius cultui, deditos homines, negatur, nempe eam esse miseriæ profligandæ rationem optimam, quæ in sacris literis exstat perscripta atque commendata; id, inquam, excussum, probatumque tot egregiis literarum monumentis, ac obuium cuius periclitanti, præscriptamque diuinitus sese corrigendi regulam ad usum adhibenti, pono; & ex eo o-

6 DISSERTATIONCULA DE APERIENDIS

stendo, quid iis potissimum in societate humana agendum sit, qui ipsi, diuinam hanc ingressi viam, pristinam miseriam eluctati sunt. Scilicet nihil tam iustum est, necessariumque, quam ut eos, quos amore complecti debent, si hi animo adhuc fuerint deprauato, ab illa libidinis, cupiditatisque feruitute abductos, studeant vindicare in veram, felicemque libertatem. Adhuc non præcepit nobis modo Deus hominum amorem, unde illud officium deriuauimus; sed hoc ipsum etiam passim, ut est, in codice sacro expresse nominat inter cetera, inculcatque: quæ loca explicare, liberareque a profanorum iniqua interpretatione, iam non est nostri instituti, maxime cum id nostro, superioreque æuo alii iam fecerint; inter quos *Belga* quidam, *Heurnius* nomine, illud argumentum peculiari libello, de legatione ad Indos inscripto, tractauit. Factum id quoque fuisse olim ab Israelitico & Iudaico populo, præclaro opusculo delecta a gentibus scripturâ sacra ostendit celeberrimus *Vockerodtus*, literator pius & doctus, qui varia multiplicique eruditione religiose uti suo docuit exemplo.

IV.

Hoc autem tam clarum est, manifestumque, debere nos hoc fungi officio, ut & ciuilis vitæ commoditates inde eximias proficisci, adeoque id multum etiam expedire, demon-

INTER BARBARAS GENTES SCHOLIS. 7

demonstrari possit, & convinci quoque, qui, præter utile, nihil putat in consiliis capiendis, laboreque suscipiendo esse respiciendum. Etenim quam verum sit, quod propheta dixit, inter improbos nullam intercedere pacem, præter civiles, forensesque contentiones, conflictationesque, tot seculorum experientia, ac perpetua gentium bella satis, superque declarant. Quot quantaque inde detrimenta passæ sint respublicæ, facile intelligit, qui, quid bellum, & qui eius sint effectus, regionum vastitates, excidia urbium, hominumque strages, & huius generis mala innumera, contemplantur. Hanc pestem rerumpublicarum, euersionesque nulla vis, nulla foedera hucusque extinguere, vel saltem diu inhibere potuerunt; quod hæc remedia fomitem malorum, ambitionem, effrenatasque cupiditates intactas relinquunt. Mores igitur si velimus emendare, &, profligata feritate, ciues, gentesque ad concordiam, pacemque colendam propensas efficere, illud præsidium adhibendum erit, quod animus, impatiens externæ coactionis, admittit, nempe doctrina. Quas vero *Horatius* commendat artes morum emolliendorum, inefficaciores esse deprehendimus, quam requirit summa animi deprauatio: nam hanc non tollunt, sed ad tempus docent dissimulare; nec domandi malas cupiditates viam tradunt,

A 4

sed

8 DISSERTATIUNCULA DE APERIENDIS

sed uni iubent seruire cupiditati principi,
ceteras huic tamquam famulas subiicere,
ad consequendum illud bonum, quod sibi,
ut summum, proponunt, caducum, varium,
priuatum, & publicis, communibusque com-
modis plerumque repugnans, ideoque rixæ
multiplicis, crudelissimæque decertationis
principium & fontem. Contra christiana
morum disciplina, utpote diuiniore fonte
hausta, suppeditat vires, rationemque cor-
ruptum animum corrigendi, publicæque
concordiæ, & felicitati communi accom-
modandi actiones externas: docet enim cu-
piditates subigere, quæ maxime repugnant
societati humanæ, nec id præcipit solum,
quod ei cum philosophorum quorundam
seueritate commune est, sed robur quoque
sibi obsequentibus, detestantibusque inge-
nii, animique sui prauitatem donat, & sem-
per præsto est certantibus. Id quod, si scri-
pti forma pateretur, pluribus demonstrare
possem, & illud quoque planum facere, fo-
re aliquando tempora, quibus cum exter-
na generis humani, tamquam magnæ ali-
cuius ciuitatis, ut philosophi quoque illud
nuncuparunt, pax concordiaque, tum, qua
præcipue illa adiuuatur, conseruaturque,
sanctior christianorum disciplina, angustos
carceres, quibus iam contrahitur, egressu-
ra sit, & gentes occupatura omnes.
Hoc prophetarum vaticinia intuentibus,
nec

INTER BARBARAS GENTES SCHOLIS. 9

nec ea in sensum alienum, Saducæisque
ipsis ridiculum detorquentibus, tam clarum
est, ut merito dubitent, deprauatæ religio-
nis accusare viros sapientes, piosque, qui
de meliorum temporum spe aliquid memo-
riæ prodiderunt, maxime si expertes fuerint
profanæ mentis, qua plerumque compulsi im-
pietatis, perpetuo mansuræ, propugnato-
res, præter vana & terrestria nihil expetunt,
& nulla re minus, quam veritatis pietatis-
que diuinæ progressu delectantur, sed hunc
potius inhibere conantur, representando
principibus viris summæ potestatis amitten-
dæ periculum, inculcandoque imperii ciui-
lis maiestatem, tamquam legem summam,
quam ipsi tamen, suæ refragantem impoten-
tiæ, & ambitioni, libenter, si possent, tol-
lerent, vel saltem infirmarent.

V.

Sed de causis suscipiendæ eiusmodi cu-
ræ religiosæ satis dictum. Sequitur illud,
ut, quibus illud negotium potissimum com-
mittendum sit, ostendamus. In tanta co-
pia eorum, qui sacris studiis operam na-
uant, docendique rudiores prouinciam am-
biunt, non defuturos credam, qui exteris
gentibus inferuire cupiant, maxime cum,
quod in patria occupent munus, multi non
videant, ideoque non raro inertes vitam
transigant. Eorum quoque querelis satis-
fieri posset, qui obrui clamant republi-

A 5

cam

10 DISSERTATIUNCULA DE APERIENDIS

cam otiosorum hominum, religionis curam
proficientium, nimia multitudine, iuste an-
secus, mei iam non est inquirere. Qua-
propter fore putem, ut non pauci, siqui-
dem vere docti, & coelestis sapientiae parti-
cipes fuerint, eximiam hanc in deserto a
reliquis agro Dominico laborandi occasio-
nem arripiant, & spartam omni fide & indu-
stria exornent. Sed, si præter scientiam ni-
hil habeant, quo nitantur, quodue cum aliis
communicent, ut non desiderabunt hanc,
tamquam tristem, horridamque provinci-
am; ita, etiam si expetant desperatione ani-
mi, vel alio peruerso proposito, haud di-
gnos existimem, quibus salutaris huius ne-
gotii partes committantur. Spiritu Christi,
& quibus hunc consequimur, retinemusque
praesidiis instructos, roboratosque esse o-
portet, qui rem christianam inter tot tan-
tasque obiectas difficultates constituere,
munireque velint, nec explodi cum doctri-
na, cui ipsi vitae actum uniuersum nondum
accommodauerunt, sed refragantur sensu,
votis, studiis. Contra si legitimam animi
culturam cum mentis cultu ipsi prius con-
iunxerint, veritatem coelestem sub sacro-
sancta disciplina agnouerint, exprimantque
totius vitae conformatione, sicut aliis do-
cendis apti sunt, ita fructu eos carituros mi-
nime existimandum est.

VI.

VI.

Isti modum, etiam rei gerendæ, de quo ultimo loco dicere promissimus, rectius intelligent, quam ipse possim ostendere; nec minus in exsequendo, quam in suscipiendo consilio caute, prudenter ac religiose agent. Etenim quanta cum sollicitudine, cura, & circumspectione eiusmodi consilium capiendum, ponderandum, & cum piis ac prudentia præditis viris communicandum sit, omnes fatebuntur, quotquot haud ignorauerint humanæ mentis in aggrediendo arrogantiam, abiectiōemque in persequendo studium, a multitudine reprobaturum. Quapropter opus est curatis precibus, diuinam expetentibus opem, prouidentiamque; rogandus Deus, ut prohibeat a se friuolum & temerarium conatum: exploret is animi conditionem & vires: rem sapientioribus committat diiudicandam, & de horum sententia probatum consilium exsequatur. Iidem ostendent quoque, quomodo se in re ipsa gerere debeat: nec, si diuinæ veritati ex animo faueant, patientur, illum destitui iis præsidis, quibus ad inchoandum opus indigeat; vel saltem curabunt, ut aliunde necessaria præsidia suppedientur. Hæc vero tanti non constabunt, ut sit magno pretiosoque opus apparatu, utpote cum ille didicerit *Pauli* exemplo, paucis contentum esse, quæ non deerint labo-

labo-

12 DISSERTATIONCULA DE APERIENDIS

laboranti, idque subinde manibus non minus, quam ore & animo. Idcirco non incon-
sultum credo esse, si introducatur in litera-
rum officinas consuetudo, manu operandi,
idque vel ad certæ artis, vilioris quoque,
præscriptas regulas, vel naturali, & obvio
cuius modo. Hac ratione forsitan impedi-
retur multarum horarum turpis & impro-
ba iactura, quam corporis mouendi causa
necessariam esse dicunt iis, qui vitam
in literarum studiis consumunt; quemad-
modum nolim etiam plus temporis opificio
huiusmodi impendi, quam illiberali alias
solet tribui corporis exercitationi. Ex
quo autem in eum locum, quem petiuit,
deuenerit, tum primam, quæ offertur, oc-
casionem docendi arripiat; siue humanæ
scientiæ, siue diuinæ requiratur disciplina.
Illam vero ita tradat, ut ad mentis, animi-
que emendationem adiumento sit; id quod
solertia sanctiore ornatus vir facile poterit
efficere. Exemplo rem illustrabo, quo me-
lius, quid dicam; intelligatur. Non de-
esse solent in barbaris etiam regionibus, qui
spe commodorum peregrinam aliquam,
maxime vicinæ vel eiusmodi gentis, cu-
ius commercium sibi utile fore vident,
linguam discere cupiant. His inter cetera
adminicula sacri codicis lectio quoque pos-
set commendari, adiuuarique præeunte o-
pera magistra, dirigenteque lecta cum ad
lin-

INTER BARBARAS GENTES SCHOLIS. 13

linguæ cognitionem, tum ad usum salutarem. Interuenire sæpe solet cœlestis sapientia lecto verbo suo, & præuenire immitendo sensum diuinæ bonitatis præuium, ciendoque cogitationem immortalitatis. Ad hæc si omnia eiusmodi fandi tempora, omnemque loquendi de Christi Domini nostri gratia, opportunitatem obseruauerit, usurpaueritque, non despero de bono salutaris instituti successu. Ita interiecto tempore fiet, ut plures confluant, mittanturque ad eum literarum & bonarum artium studiosi pueri, adolescentesque, ut iustam scholam aperire possit, & si focii operis ad manus fuerint, longius proferre rectiora studia, & christianorum pietatem. Hanc si non omnes, certe plures, quam quis initio credat, suscipient & retinebunt eo constantius, quo firmiore fundamento, incorrupta scilicet prophetarum & apostolorum doctrina fuerint quasi superstructi, & confirmati conuenienter dictis agentis magistri exemplo. Prætermitto, quæ huic instituto, & omnis muneris sacri piæ, diligenti, prudentique administrationi communia sunt; & hoc unum adhuc dico, maxime cauendum esse inter expertes religionis, veritatisque christianæ gentes illorum astutiam, qui peruersis illarum de Deo, diuinisque rebus opinionibus, placitisque ita accommodant christianæ pietatis prædicationem, ut alia
reti-

14 DISSERTATIUNCULA DE APERIENDIS

reticendo, alia in alienum sensum, speciemque detorquendo, verum falso potius admiscere, quam, hoc sublato, illud constituere velle videantur. Astuta hæc fraudulentæ agendi ratio sicut per se odium detestationemque versæ in peregrinam formam rei parit, ita expresse a primis doctrinæ coelestis propagatoribus interdicitur, tamquam sinceritati euangelii contraria. Plenam quoque esse periculi rem, si quis dubitet, videre poterit in recentiore Romanarum *missionum* historia: qua perlustrata, illud certum esse fatebitur, & in uniuersum cognoscet quoque prudens lector, quæ susceptum euangelii propagandi munus sperato successu plerumque priuauerint, humanæ scilicet sapientiæ confidentia, calliditas, auaritia, ambitio, inuidia, insolentius prouocata; uno verbo, mortalis ingenii impotentia, & animi, poenitentia, coelestisque gratiæ usu nondum ex altitudine sua reuocati & compositi peruersitas. Hanc ubi antea deposuit noster, sedulo cauebit, ne sensim sui obliuiscatur, quam corruptus scilicet & ad praua propensus sit, & cum inter aduersa animum non despondeat, secundis tamen rebus frangi, & insita cupiditate duci se pariat, cum manifesta religiosi laboris iactura: id quod memori suæ fortis, diuinam opem nunquam non inuocanti,

INTER BARBARAS GENTES SCHOLIS. 15

canti, vigilique homini non facile contin-
get.

VII.

Sed hæc minore negotio præcipiuntur;
vel animaduertentur etiam a versantibus
in ipso hoc opere, quam persuadetur ho-
minibus, ut operi huic se mancipient, eique
suam consecrent ætatem, spem, & commo-
ditates. Etenim non profanis solum, &
sanctissimi muneris fructum in omnium re-
rum copia, titulis, honore, non in procu-
randa hominum salute collocantibus, ludi-
brio odioque dignum, plenumque fanatici
ambitosique impetus videbitur institutum;
sed & aliorum, forsitan non tam male anima-
torum haud satis æquo iudicio relicietur. Ob-
iicient enim hi, iniussu supremi Domini ipsum
currere, semet ipsum periculis innumeris
sine ratione offerre; posthabita patria, in qua
ingens & ultra paganorum improbitatem
profecta sceleratorum hominum multitudo
a vitiis ad virtutem, a tenebris ad lucem
restet reuocanda, ad exterarum contendere
gentes, quarum emendationem tot alii tanto
conatu frustra tentauisse dicantur. Atqui
supra dicta si quis diligenti æstimatione per-
penderit, neque de diuina voluntate, neque
de successu dubitabit: quamquam multum
laboris, molestiæ, inopiæ, calamitatis, pe-
riculi cum hoc consilio haud negem esse
con-

coniunctū. Ex quo autem non id consequitur, ut hoc, quia molestum periculosumque sit, idcirco omittendū esse dicamus; sed illud convincitur, neminem, nisi qui contrarios libidini suæ casus æquo animo ferre possit, id est, qui præter Christum nihil in terris cupiat, amet, amandumque & colendum reliquis mortalibus gestiat proponere, illuc debere proficisci. Cogitent isti potius, qui hæc obiecerint terriculamenta, in quanto ipsi versentur discrimine vel amittendæ, vel nunquam consequendæ vitæ spiritualis, cum naturalis peruerso studio, cultu, luxu, desideria potius, quam religione, & amore periclitantium inducti, meliora destinantes a proposito detertere velle videantur.

